

non amplius à latere circa K, sed in summitate L aërem emitteret, quo ipso non solum priori incommodo consulimus, sed novum etiam obtinuimus commodum, ut scilicet inter extrahendum, foramen L, admoto pollice, claudi posset & aëri externo ingressus denegari, qui haut rarò per ventile seu valvulam pistilli non satis clausam aut munitam retrò surrepebat.

III. Hæc ipsa verò valvula cùm in canali orichalceo MI, circa M præterpropter, non nisi cæmento quodam resinoso esset adferruminata, ut, quoties opus esset, eximi facilius & auxiliatricem admittere manum posset; factum est haut semel ut, agitato fortius indeque incalescente valdè pistillo, cæmentum illud cereum liqueceret, & refrigeratum postea rimas ageret, aëremque adeò externum, qui fuerat arcendus, admitteret. Huic igitur etiam malo ut faceremus medicinam, ventile seu valvulam ad M è pistillo penitus exemimus, occluso foramine pistilli infimo I; aliam verò valvulam orichalceo tubo extus ope stanni adferruminavimus ad O in vicinia prioris H, quæ hiaret extrorsum, sicut prior illa in H hiat & aperitur in ipsam tubi cavitatem: Sic enim, ut attracto pistillo, recipientis aër per valvulam N sequebatur in cavitatem tubi; ita postea introactò rursus pistillo idem aër, per valvulam H clausam retrò viam haut inveniens atque interim à pistillo arctè compressus exitum per ventile O quærit, cuius operculum superius perforatum (ut aër expressus commodius elabatur) amoveri potest quoties opus est, ut vel ab impuritatibus purgari valvula, & elaterio, quod isti reprimendæ destinatum ibidem latitat, succurri facile possit.

IV. Tali elaterio, h. e. filo orichalceo in Spiras contorto fuerat munita etiam altera valvula ad H, quod hanc ab aëre per GN admissò sublatam ocyus intra matricem suam reprimebat, regressum ita aëri ex tubo in Vas recipiens exactè præcludens. Verùm hoc commodum, uti solet fieri, suum ferebat